



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus II. De cohabitatione clericorum & mulierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

aut ea post terminum elapsum reassumant, clericali privilegia ipso jure amittunt. Et quidem, si conjugati sunt, utrumque privilegium, tam canonis, quam fori, quibus aliàs juxta *c. unic. de cler. conjug. in 6.* gaudent clerici, qui cum una eaque virgine contraxerunt. Si verò sunt clerici non conjugati, amittunt solum privilegium fori quò ad res proprias, in quibus aliàs gaudent hoc privilegio, ut *Gl. in cit. clem. v. in rebus.* Si verò hi clerici non conjugati exercent talia incedentes omnino ut laici, seu in habitu laicali, eo ipso etiam quò ad personas excidunt privilegio clericali. ita statuitur *cit. clem. 1.* quæ dum dirigitur ad Diæcesanos, per illos intelliguntur non tantum Episcopi, qui jurisdictionem ordinariam exercent; sed etiam alii Prælati inferiores, qui in loco obtinent jurisdictionem quasi episcopalem, excluso Episcopo seu privativè ad Episcopum, non verò Prælati inferiores, qui concurrunt quidem in jurisdictionis episcopalis exercitio, non tamen excluso Episcopo. *Pirh. h. t. num. 32.* cum *Abb. in cit. clem. 1.* Item dum dicitur, clericos non conjugatos excidere privilegio clericali etiam quò ad personas, intelligendum sit de utroque privilegio, tam fori, quam canonis; ita ut non tantum conveniri possint coram Magistratu sæculari, sed etiam, ut percutientes illos non incurrant excommunicationem. *Wiestner. h. t. n. 9.* citatis *Suar. de cens. d. 22. f. 1. à num. 24.* *Castrop. tr. 29. d. 3. p. 23. §. 1. à num. 8.* Porò has pœnas incurrere quoque clericos exemptos exercentes talia in loco non exempto; eò quòd tunc ratione delicti subjiciantur Diæcesano istius loci; secus, si exercent ea, in loco exempto à jurisdictione Diæcesani, ait *Pirh. l. c.* incurrere quoque eas ipso jure seu facto sine alia sententia declaratoria à clericis in Sacris constitutis astruit. *Wiestner. h. t. num. 60.* qui pro eo citat *Pirh. num. 32.* (ubi tamen is expressè non meminit clericorum in Sacris constitutorum) & *Castrop.* quem tamen rectè monere ait, ut Curia sæcularis in istiusmodi clericos, tanquam suæ jurisdictioni subiectos (intellige, à S. S. Canonibus) procedere valeat, opus esse sententia declaratoria incorrigibilitatis. Sentiant plures alii contrarium, nempe hos non incurrere etiam post trinam monitionem privationem privilegii fori quò ad personas, donec eò à Judice ecclesiastico per sententiam denudentur. *Arg. c. cum non ab homine. de judic. & pro hac sententia Wiestner. citat Suar. l. 4. defens. fidei. c. 17. num. 24. & Laym, l. 1. tr. 5. p. 2. c.*

5. num. 3. Qui tamen ibi loquitur tantum de mimis & exercentibus artem ignominiosam ludionum, de quibus paulò post. De cætero clericos post trinam monitionem pergentes exercere hujusmodi, & hinc privatos privilegio fori recuperare illud ipso facto, quo desistunt illa exercere, tradit *Pirh. num. 33. in fine cum Gl. in cit. clem. v. quamdiu.* Alii censent, ad recuperandum illud opus esse dispensatione Episcopi. Quin & ut alii, dispensatione ipsius Papæ, cum in pœnis ecclesiasticis, quæ tanquam veræ pœnæ jure communi infliguntur nemo Papæ inferior dispensare possit. *Laym. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 4. num. 2. & 3.* Veraque videtur sententia posterior, requirens ad hoc dispensationem Papæ, dum exercitia sunt ejusmodi, quæ simul infamiam irrogant.

Quæst. 23. Quam pœnam incurrant clerici ludiones, exercentes ludos inhonestos & artem jocolatoriam, mimicam seu histrionicam, & facientes se buffones?

R Esp. Exercentes hujusmodi per annum continuum publicè, ipso jure omni privilegio, etiam canonis, privati existunt. Quin & ante annum elapsum hanc privationem incurrunt, dum intra eundem ter moniti ab Episcopo (vel, ut *Pirh.* à Superiore suo) non respicientes pergunt illa exercere, pro ut statuitur *c. unico h. t. in 6. Delb. p. 1. c. 2. dn. 4. f. 3. num. 50.* *Laym, l. c. num. 3.* *Pirh. h. t. num. 30.* *Reiffent. num. 143.* Quam constitutionem aliqui intelligunt de solis clericis in minoribus constitutis, & non de initiatis Sacris, quos volunt non exinde privari privilegiis clericilibus, præsertim canonis ante Judicis ecclesiastici sententiam seu degradationem, pro qua sententia *Laym.* citat *Lupum Jo. Monach.* *Suar.* Contrarium tamen, sive extendere se illam etiam ad omnes indistinctè clericos, adeoque etiam ad constitutos in Sacris tenent *Franc. cum Gl. fin. in cit. c. unicam.* *Laym. cit. num. 3.* *Delb. l. c.* remittentes ad *Molin. de just. d. 49. & 54.* item *Pirh. l. c.* qui tamen addit, ad executionem hujus pœnæ requiri sententiam declaratoriam Judicis, pro quo citat *Suar. de cens. d. 30. f. 2. num. 7.* Videturque hæc sententia posterior probabilior; eò quòd istiusmodi jocolatores sint ipso jure infames juxta *l. 2. ff. de his, qui not. infam. junctâ Gl. v. desint.*

TITULUS II.

De

Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

Quæst. 24. Quibus feminis cohabitare clericos jura permittant?

R Esp. Concessum est à jure clericis (quo nomine hic potissimum veniunt initiati ordinibus sacris) cohabitare, hoc est, in una domo sub eodem tecto commorari & conversari unà cum feminis non suspen-

ctis, puta, rei domesticæ curandæ gratiâ, vel ob aliud motivum honestum. Quales imprimis sunt, in quibus naturale fœdus (hoc est, propinquior sanguinis conjunctio) nihil sævi (hoc est, carnalis & incestuosi) criminis permittit suspicari, ut dicitur *c. à nobis h. t.* pro ut sunt matres, aviæ, materteræ, amitæ, forores, sororum fratrumque filix, *c. cum omnibus, dist. 81. c. inter-*

c. interdixit. dist. 32. Permittitur quoque. *can. cum omnibus* illis cohabitare mulieribus, quæ sunt de personarum istarum languine junctarum familia, puta, earum ancillis; pedissequis, uti etiam uxoris filiorum, quos illi acceperunt parentibus jam ordinatis, pro ut *Gl. in cit. c. cum omnibus. v. idoneas. Pirh. h. t. num. 1. Reiffenst. num. 8.* Quin & præter personas nominatim expressas in SS. Canonibus, quibuscumque habitare permissum clericis, veniunt & aliæ externæ, de quibus prudens suspicio turpis commercii haberi nequit juxta *cit. c. cum omnibus.* Dum ibi dicitur: *etiam eas personas, quæ fugiunt suspiciones:* V. g. quia proverte ætatis, probata virtutis & pietatis. De cætero, quod dictum de mulieribus sanguine conjunctis, intelligendum etiam de iis, etsi juvenculæ sint; cum ex hoc solo dici non debeant suspectæ, sicut ex eo ipso personæ extraneæ suspectæ esse solent. *Pirh. h. t. num. 3.* Extendendum tamen non est ad affines, etiam in primo & secundo gradu affinitatis; cum SS. Canones excipientes à prohibita per illos cohabitatione sanguine junctas, non excipient affines, inter quas, utpote non nisi mediaticibus consanguineis conjunctas, non est ista arcta & immediata conjunctio, quæ est inter consanguineos, removens ab iis suspensionem commercii carnalis. *Pirh. num. 4.* Qui tamen etiam excipientes cenlet novercam, mirum, uxorem fratris defuncti, quin & affinem in secundo gradu, dum ea clericis, vel is illi reverentiam debet. V. g. uxori patris sui defuncti. Denique, quod dictum de sacerdotibus & clericis aliis, idem dicendum de Episcopis, nimirum quod cohabitare possint mulieribus, sanguine junctis in primo & secundo gradu earumque ancillis & pedissequis. *Abb. in c. 1. h. t. Pirh. num. 5.* contra *Gl. in c. legitur. dist. 81. v. mea.* dicentem, Episcopum ne quidem matrem aut sororem secum habere posse juxta *Auth. Episcopo. C. de Episc. & cler.* quod ipsum, nimirum, ut Episcopus similisve Prælati sæcularis illas extra palatium in alia domo separata habeat & alar, *Pirh. & alii* censent honestius magisque consultum, idque vel maxime propter sacerdotes alios cum Episcopo commorantes,

Quæst. 25. Quibus mulieribus cohabitare jura prohibeant clericis?

R Esp. De jure communi prohibetur clericis cohabitare mulieribus quibuscumque, de quibus esse potest rationabilis suspicio & periculum criminis. Idque, etsi aliàs à S. S. Canonibus permissum illis cohabitare, sintque personæ conjunctissimæ, matres & sorores, multoque magis earum ancillis & sociis, ita statuitur. *c. 1. h. t. Barbol. ibid. num. 3. Pirh. h. t. num. 3.* quod *cap. proinde* non contrariatur. *cit. c. cum omnibus;* Cum hoc loquatur de feminis nullatenus suspectis, qualiter ordinariè & plerumque non sunt personæ illæ sanguine conjunctissimæ; illud verò de personis quibuscumque, dum sunt suspectæ, quales quandoque etiam esse possunt personæ illæ conjunctissimæ; cum, ut dicitur. *cit. c. 1. infligante Diabolo & in iis scelus perpetratum reperitur.* uti & illud re ipsa, antequam hic canon condederetur, perpetratum occasio fuit condendi illum, & exprimendi etiam matrem, sororem, amitam. *Barbol. Pirh. LL. cit.* Porrò clericum cohabitantem

mulieri de qua esse posset rationabilis suspicio, etiam si sit consanguinea, peccare mortaliter, censet *Barbol. in c. à nobis. h. t. num. 2.* cum *Nav. in man. c. 25. n. 109. & Comit. resp. mor. l. 1. q. 92. à princ.* quos citat. Cujus ratio esse potest, quod eo ipso, quod talis clericus præbeat occasionem suspicandi rationabiliter de se ipsum crimen, præbeat grave scandalum. Unde, ut ait *Barbol.* non sufficit illud è trivium: sufficit mihi mea conscientia, non curo, quod de me loquantur homines &c. si homines prudentes, præbita sibi ad hoc sufficiente causâ sic loquantur; cum juxta *Apost. 2. ad Cor. 8. v. 21. oporteat provide bona, non tantum coram Deo, sed & coram hominibus, ne nomen Domini blasphemetur.*

Quæst. 26. Quænam, etiam independentè à cohabitatione, prohibeantur clericis conversatio cum mulieribus?

R Esp. Non tantum prohibentur clerici à domibus suis suspectas remove mulieres, etiam aliunde accedentes; sed & eas in domibus propriis earum frequentare, aut etiam ubi vis locorum familiariter cum iis conversari. *Can. clericus solus. c. in omnibus. c. clerici vel continentes. dist. 81.* Quin & hæc ipsa intelligenda de mulieribus aliàs non suspectis; dum vel ipsa familiarior cum iis conversatio, crebriorque ad eas citra necessitatem accessus, & vel maxime productior solius cum sola in tenebris aut locis occultis confabulatio istiusmodi carnalis affectus & commercii suspensionem rationabilem & vehementem generet. Sic quoque prohibita est clericis conversatio cum muliere suspecta, quæ sit per nuncium & literas secretas, comprehenditurque illis verbis *c. si quisquam. h. t. & aliquo modo conversari. Barbol. ibid. num. 3.* remittens ad *Mench. de præsump. l. 5. præsump. 41. num. 10. & Carol. de Grass. de effectib. cler. eff. 26. num. 5.* Extenditur etiam hæc prohibitio ad nimiam familiaritatem domesticarum juxta *can. quorundam. dist. 34.* Estque ratio hujus prohibitionis, quod ex tali clericorum cum feminis conversatione scandalizetur populus, vilescat status clericalis dignitas, vituperetur eorum ministerium contra monitum *Apostoli 2. ad Cor. 6. & juxta illud S. Bernardi sum. 2. de resurr. dom. prope finem: quotidianis experimentis didicimus, cujus vita despicitur, restat, ut prædicatio contemnatur &c.* ac insuper lapsus carnalis periculum. De vitanda hac clericorum cura mulieribus conversatione eleganter & acriter pro more suo scribens videatur *D. Hieronymus*, pro ut refertur, *in can. hospitium. dist. 81. in Epist. ad Nepotian. & Epist. 11. ad Ageruchiam. c. 5. in Epist. ad Rustic. monach. c. 2. & Epist. 22. ad Eustoch. c. 2.* quos textus recitat *Barbol. ad cit. c. à nobis. num. 3.*

Quæst. 27. Quæ sint pænæ clericorum cohabitantium cum mulieribus suspectis, aut aliàs familiaribus cum illis conversantium?

R Esp. Fuerunt illæ jure veteri permultæ, non tamen in iis infligendis semper idem ordo servatus. Sic

Sic clerici contravenientes SS. Canonum hanc cohabitationem & conversationem prohibentium constitutionibus jubentur deponi, & fœmina à liminibus ecclesiæ arceri. *cit. can. clericus solus. can. clericus vel continentes. dist. 81.* Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, si ter monitus inveniatur loqui vel conversari cum fœmina suspecta de fornicatione cum eo, dicuntur excommunicandi, & fœmina canonicè puniendi. *cap. si quis b. r. Mulier etiam, cum qua nimiam familiaritatem habet clericus, olim in monasterium detrudi debebat. c. fraternitatis. dist. 34. Gloss. fin. in c. 2. b. r. v. canonicè.* Verùm de his accuratius paulò post, ubi agitur de pœnis concubinariorum, cum hæc etiam extendi videantur ad habentes etiam extra concubinatum cum istiusmodi suspectis mulieribus conversationem, dicente Trident. *sess. 25. c. 14. prohibet S. Synodus quibuscumque clericis ne concubinas aut alias mulieres, de quibus haberi possit suspicio, in domo vel extra domum detinere aut una cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à SS. Canonibus, vel statutis ecclesiarum puniantur.*

Quæst. 28. Concubinatus & clericus concubinaris quis, & quæ dicatur concubina?

Resp. Concubinatus, de quo hic, est illicitus, frequentatus seu consuetudinaris concubitus cum fœmina aliqua soluta in domo sua vel alibi commorante. *Farinac. pr. crim. p. 5. quæst. 138. num. 3.* Et sic clericus concubinaris dicitur non tantum ille, qui mulierem talem domi retinet continè instar uxoris, ut volunt jura civilia. *Bartol. in L. concubinam. ff. de concubinam.* Sed secundum Jus canonicum etiam ille, qui eam alibi habet, & continuam cum ea consuetudinem habet. *Farinac. loc. cit. num. 10. Bellet. disq. cleric. p. 1. §. 15. de discip. cler. num. 59. Leo. in thes. for. eccles. p. 3. c. 4. num. 27. Barbof. ad c. sicut. h. r. num. 3. citans alios, Pirh. h. r. num. 13.* Unde jam etiam patet, quæ dicatur concubina. Neque hic faciendum discrimen, inter concubinam, focariam, meretricem, quæ qualiter aliàs juxta jus civile notabiliter differant. Vide apud me *for. benef. p. 3. quæst. 216. num. 5.* De cætero ad concubinatum in ordine ad pœnas incurrendas requiritur concubitus repetitus cum una vel pluribus, saltem bis. *Pirh. loc. cit. Reiffentuel. num. 13. citans Nav. quem pro contrario citat Pirh. cum in criminibus duæ vices sufficiant ad consuetudinem. Can. 11. an. 25. q. 2. junctâ Gloss. v. usum. & L. deinceps. C. de episcop. audient.*

Quæst. 29. Qualiter concubinatus & concubinaris dicatur notorius?

Resp. Dicitur talis vel per sententiam definitivam vel confessionem judicialiter factam declaratus. Et hæc dicitur notoreitas juris, *c. ult. b. r.* Vel quando nulla legitima oppositione aut alia tergiversatione repetiti concubitus possunt celari. Quæ dicitur notoreitas facti. Vel dum post legitimas superioris sui monitiones mulierem scandali causam dimittere à domo sua non vult, aut negligit; vel in domo tertii detinere pergit. Quòd factum ad notoreitatem præsumptionis, quæ ex

certis factis & circumstantiis quid à jure pro veritate habetur spectat. vide me *loc. cit.* Porro ad probandum plenè concubinatum non sufficit probare cohabitationem, sed ipsi concubitus probari debent. Neque etiam probatio de voce publica & fama. vide me de hoc pluribus *loc. cit. quæst. 217. num. 1.*

Quæst. 30. A quo Judice crimen concubinitus puniendum?

1. Resp. primò: Non potest esse quæstio de clerico concubinario; cum certum sit illum de cætero ob alia non privatum privilegio fori quò ad personam à Magistratu sæculari non magis ob concubinatum, quam ob alia crimina non excepta puniri posse; quia etiam, dum aliàs crimina sunt mixti fori, & est locus præventioni, id intelligendum in ordine ad laicos; cum crimina clericorum solum à Judice ecclesiastico cognosci & puniri possint. *Delb. p. 1. c. 10. du. 1. §. 1. num. 31.* Unde remanet quæstio de concubinario laico & concubina clerici, ad quam

2. Resp. secundò: Concubinatus laici est delictum fori mixti, & sic cognosci & puniri potest tam à Judice sæculari, quàm ecclesiastico, prout quis eorum prævenerit. Rationem dat *Delb. l. c. num. 23.* quia concubinatus (intellige etiam laici) adversatur tam juri canonico quàm civili, & ab utroque prohibetur *Azor. p. 2. l. 3. c. 53. q. 2. dicens esse sententiam magis receptam. Bellet. loc. cit. tit. de favore cler. real. §. 4. num. 52. Vener. in exam. episc. l. 3. c. 37. num. 99. Bobadil. in polit. To. 1. l. 2. c. 17. num. 53. Felin. in c. cum generale, de foro compet. num. 13. Barbof. ad Trident. sess. 24. c. 8. & alii, quos citat & sequitur Delb. cit. num. 23. contra Abb. in c. cum generale. Vulpium in for. eccles. c. 41. num. 51. Bermond. tit. de pub. concub. vers. punitus. fol. 304. Cuchum instit. l. 2. tit. 6. num. 101. Honor. in decret. l. 5. tit. 26. Megal. in promptuar. vel causa spirit. num. 20. & v. concubinum. 10. Clar. in pr. l. 4. v. fornicationum. 6. & alios, docentes, concubinatum esse tantum fori ecclesiastici, eò quòd à solo jure canonico prohibeatur & puniatur, ut *Alex. in L. ex facto, §. si rogatus ff. ad S. C. Trebell. num. 13. Jo. Garc. in rubr. eod. de secundis nupt. Bermond. loc. cit. fol. 391. num. 2. Socin. in L. cum avus. ff. de condit. & demonstr. num. 65. quorum sententiam satis probabilem dicit Delb. l. c. n. 24.* Et ei favere praxin, quæ Judices sæculares regulariter non puniunt hoc delictum, nisi quatenus requisiti ab ecclesiasticis tanquam brachium sæculare. De cætero ex eo, quòd concubinatus sit delictum fori mixti, rectè infert *Delb. l. c. num. 28.* Prælatum ecclesiasticum non tantum tunc ordinariè posse illud punire, quando concubinaris ter monitus insorescit in peccato & excommunicatus in excommunicatione per annum, aut etiam concubina ter monita non respicit; sed & absolute.*

3. Resp. tertio: Concubina clerici à Judice ecclesiastico puniri potest. *Zerol. in pr. episc. p. 1. v. concubinaris. Bellet. disq. cler. p. 1. de discip. cler. §. 15. num. 64. Marth. de jurisd. p. 4. cas. 44. & alii, quos citat & sequitur Barbof. in c. si quisquam, h. r. num. 4. Pirh. h. r. num. 6. qui etiam ex Abb. in cit. c. num. 4. & Gloss. in c. eos qui. dist. 32. hanc dat rationem; quòd, si fœmina*

mina

trina delinquant eum clerico contra decorem Ordinis ecclesiastici, subjiciantur jurisdictioni Judicis ecclesiastici; quia committunt quasi sacrilegium. Verum ratio communis est, quod, si plures simul delictum committant, omnes ab eodem Judice puniendi sint, ne continentia causæ dividatur. juxta *c. nulli de Judic. adeoque si clericus cum laico delinquat, uterque reus apud Judicem ecclesiasticum velut digniorem forum fortiatur. Pirh. loc. cit. citans Menoch. de arb. cas. 371. à num. 12.* Item quod, cum correlativorum eadem sit ratio, & dispositio loquens de uno procedat etiam de altero, concubina, quæ habet causam communem cum concubinario clerico, estque correlativa ad illum, non secus ac ipse clericus per Judicem ecclesiasticum puniendâ. Barbof. loc. cit. quæ rationes evincere videntur, concubinas clericorum non tantum posse puniri à Judice ecclesiastico sed & ab eo solo puniri debere, ut id ipsum docent Abb. in *c. cum sit generale. de for. comp. num. 25.* Jafon. in *L. penult. ff. de jurisd. omni. Judic. num. 17.* & alii apud Barbof. loc. cit. Saltem ubi concubina excommunicata iterum cum clerico delinquit. Quin &, quidquid sit de aliis criminibus commissis à clerico cum laico, absolute à solo Judice ecclesiastico posse puniri concubinam clerici, cum communiore tenet Reiffenstuel. *h. t. num. 28.* His non obstante, quod solus laicus sit Judex competens concubinae clerici peccantis cum laico, de quo vide me *ad lib. 2. quest. 158. n. 2.* Unde jam etiam admitrenda non est distinctio illa, quâ aliqui volunt, concubinas publicas à seculari Judice judicari posse, non verò occultas, ne clerici in foro seculari infamentur. Barbof. loc. cit. De cætero notat Pirh. loc. cit. cum Laym. *l. 4. tr. 9. c. 4. num. 10.* Hæc in praxi non observari, dum passim Judices seculares contra mulieres suspectas & concubinas delinquentes cum clericis procedere soleant.

Quæst. 31. An & qualiter Index ecclesiasticus procedere possit cum concubinariis ad excommunicationem?

Respond. ad primum: Possè Episcopum concubinarium tam laicum quam clericum excommunicare. constat ex Trident. *Sess. 24. c. 8. de reform.* ubi decernitur, posse Episcopum trina monitione præcedente ferre in concubinarios excommunicationis pœnam. item *Sess. 25. c. 14.* Et in specie, quod clerici in sacris constituti debeant excommunicari, etiam, dum de fornicatione cum famina suspecti post trinam monitionem inveniuntur cum eadem confabulari vel conversari, dicitur *c. 2. h. t.* Siquidem, si post trinam admonitionem inveniatur cum ea conversari, factus jam est concubinarius notorius præsumptione juris & de jure, quam jura habent pro veritate, & sic potest excommunicari. Host. in *sum. h. t. num. 4.* Sic statuitur *c. clericos. h. t.* Quod si clerici in sacris constituti ad concubinas redire, vel alias assumere præsumperint, in aliquos eorum perpetua (hoc est, donec respiscant) excommunicationis sententia sit proferenda. Quod etiam ipsa concubina debeat excommunicari, ait Gloss. in *cit. c. 2. h. t. v. canonicè.*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

2. Resp. ad secundum: Tametsi ad alias pœnas sine trina, imò sine omni monitione procedere possit Episcopus, ad censuras tamen, ut nominatim ad excommunicationem cum concubinariis notoriis procedere nequit, nisi prævia trina monitione. Delb. *p. 1. c. 10. d. 1. s. 1. num. 29.* & in *indice part. 2. v. concubina.* Barbof. in *c. 2. h. t. num. 2.* constat ex Trid. *Sess. 24. c. 8.* & ex *cit. c. h. t.* Servanda hæc solennitas trinæ monitionis tanquam forma necessaria. Delb. loc. cit. num. 26. Item ad excommunicationem devenire non debet, nisi tandem post frustra adhibita alia remedia & punitiones. Arg. ejusdem Trid. *l. c.* dum ibi ordo pœnarum successive infligendarum refertur, & ultimo loco ponitur excommunicatio. Abb. in *c. clericos. h. t. n. 3.* Pirh. n. 11.

Quæst. 32. An & qualiter concubinariis incurrant suspensionem?

Resp. primò: Tametsi clericus concubinarius ipso facto sit suspensus à divinis suspensione quò ad le non secus, ac alius quilibet in peccato mortali existens, ut celebrando Missam & Sacramenta ministrando peccet mortaliter. *c. ult. h. t.* Barbof. *ibidem num. 5.* Et hanc non esse suspensionem propriè vel ex eo inferitur, quod talis clericus post peractam pœnitentiam recuperet. statim in continente executionem seu administrationem sui officii absque prævia absolutione; quod dici nequiret; si talis suspensio foret censura. Non tamen concubinarius, etiam publicus & notorius, ipso jure suspensus est à divinis, Ordine, officio, beneficio suspensione propriè dicta, seu qua durante, celebrans aut ministrans, aut beneficium suum ministrans incurrit irregularitatem; quia hæc pœna suspensionis ipso facto à concubinariis incurrenda nullibi in jure expressa, ut constat ex Canonibus, quibus ea intentatur, dum ii, uti & Trid. dicant: *suspendatur, vel debent suspendi*: quæ tantum suspensionem sententiæ ferendæ, & non latæ significant. Quamvis tamen secus sit de Episcopis, utpote de quibus ait Trid. *l. c. si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo provinciali admoniti se non emendaverint, ipso facto sint suspensi &c.* Ad hæc irregularitas non inducitur nisi in casibus in jure expressis juxta *c. is qui de sent. excomm. in 6.* Et sic tenent Innoc. in *c. si celebret. de cler. excomm. minist. num. 3.* Jo. And. *ibidem num. 4.* Covar. *Clem. furiosus. p. 1. §. 1. num. 5. de homicid.* Garc. *de benef. p. 7. c. 14. num. 19.* Barbof. *l. c. n. 4.* citans Fagund. in *præcep. Eccl. præc. 1. l. 2. c. 5. num. 48.* & alios. Pirh. *h. t. n. 18.* Reiffenstuel. *num. 41.* Wiestner. *n. 131.* ego *for. benef. p. 3. qu. 216. n. 3.* contra Abb. in *c. vestra. h. t. n. 7.* Sylv. *v. concubinarius. num. 4.* Bellet. *disq. cler. p. 1. §. 5. de discipl. cler. n. 1.* Farin. *de delict. Carn. q. 133. à n. 55.* Clar. *l. 5. §. fin. q. 73. n. 3.* Azor. *p. 1. l. 6. c. 7. q. 5.* & alios citatos. à Garc. n. 8.

2. Resp. secundò: Sed neque suspensio à beneficiis, quæ incurrenda statuitur in *c. sicut. h. t.* Clericis in sacris constitutis, si moniti concubinas à se non removeant, easdem non resumpturi, extenditurque etiam ad clericos constitutos in minoribus. Arg. *c. si autem h. t.* ut Gl. *ibid. v. spoliare.* Barbof. *ibidem num. 1.* Pirh. *h. t. num. 7.* Item, quâ à Trid. *l. c.* jubentur suspendi à beneficiorum administratione quicumque clerici, qui secundæ monitioni

nitioni de dimittendis concubinis non paruerint, est suspensio proprietatis, inducens irregularitatem; eò quòd, cum in pœnis interpretandis benignior interpretatio facienda, ubi in pœnam irrogatur suspensio, non statim accipienda sit de suspensioe constituenta veram censuram; dum etiam remotio ab administratione beneficii vel officii sit factis pœnæ, etsi irregularitatem seu rationem censurae non importet. In ordine ad quod etiam notandum, quod habet Garc. *loc. cit. num. 30.* dato, quod SS. Canones loquerentur de suspensioe, quæ esset vera censura, de jure adhuc responderi posset, uti apud Barbol. *in c. ult. hoc. tit. num. 4.* respondent Avila *de censur. p. 2. c. 6. disp. 2. du. 5.* Bonac. *tr. eod. d. 3. q. 6. p. 5. num. 1.* id jam non esse amplius in usu. Unde jam etiam,

3. Resp. tertio; licet olim seu spectato jure antiquo, clericus concubiniarius notorius (secus erat & tunc de non notorio juxta *can. nullus & can. præter hoc. dist. 32.*) suspensus esset etiam quoad alios, ita ut hi audiendo missam illius, & interfessendo aliis officiis divinis ab eo peractis, aut recipiendo ab illo Sacramenta, exceptis Sacramentis Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ in mortis articulo, peccarent. idque, ut Gratian, *in curat. can. præter hoc.* ut is à populo sese contemptum videntis, rubore suffusus, facilius ad pœnitentiam revocaretur. hodie tamen post & juxta *Extravag. ad evitanda* editam in Concilio Constantensi (etsi adhuc possint, ut Pirh. *hoc. tit. num. 19.* cum Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. cap. 4. num. 4.*) non tenentur amplius fideles à clericis notorii concubiniarii missa audienda abstinere, eumque vitare in divinis officiis, etsi vere suspensus esset, nisi nominatim ac publicè denunciatus fuerit esse excommunicatus, suspensus, interdictus. Suar. *de censur. Tom. 5. d. 31. f. 4. num. 16.* & *Tom. 3. d. 18. f. 1.* Azot. *instit. mor. p. 1. l. 7. cap. 7. quest. 16.* Sayr. *de cens. l. 2. cap. 12. num. 20.* Bonac. *de Sacram. d. 4. quest. ult. p. 12. num. 1.* Barbol. *in cap. ult. hoc. tit. num. 3.* Fagn. *in c. vestra. hoc. tit. num. 17.* Pirh. *hoc. tit. num. 19.*

Quest. 33. An & qualiter ad privationem fructuum beneficii cum clericis concubiniariis procedatur?

1. **R**esp. primò: quòd ad hoc ita statuit Trident. *Sess. 25. cap. 14. de reform.* ut clerici quicunque concubinas aliasve mulieres suspectas intra vel extra domum detinentes, aut cum illis ullam consuetudinem habentes, si à superioribus moniti, ab iis se non abstinerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum suorum beneficiorum quorumcumque & pensionum ipso jure sint privati, quæ fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco applicatur. Si verò in delicto eodem cum eadem vel altera femina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum & pensiones eo ipso amittant, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quò ad ordinarius, aut etiam Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur. Circa quæ,

2. Notandum primò, decretum hoc extendere se ad clericos tam majorum quam minorum ordinum habentes beneficia vel pensiones, ut patet,

ali verò clerici, ut *loc. cit.* inquit Trident. quibus beneficium aut pensiones ecclesiasticas non habentibus juxta delicti qualitatem & contumaciæ perseverantiam pœnâ carceris, suspensione ab ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis juxta SS. Canones puniantur ob delictum incontinentiæ.

3. Notandum secundò, pœnam hanc privationis fructuum locum non habere in clericis, si primò deliquerint, etiamsi edicta generalia ordinis præciserint; sed incurri, si secundò deliquerint. Prima autem vice puniri debere aliis pœnis à SS. Canonibus vel statutis ecclesiarum impositis, Garc. *de benef. l. 1. c. 1. n. 186.* Ego. *for. benef. p. 3. q. 2. l. 6. n. 4.*

4. Notandum tertio; monitiones habere etiam ad privationem fructuum requisitas debere esse speciales in ipsam personam factas, ita ut non sufficiat generalis per edictum, vel in Synodo facta, quæ aliis etiam trinæ monitionis vim habet. Riccius *in pr. eccles. decis. 359. in prima edit. & resol. 307. num. 3. in 2. edit.* Barbol. *in c. sicut. h. t. num. 6.* Garc. *l. c. cap. 10. num. 186.* referens sic declaratum in S. Cong. Card. Pirh. *hoc. t. num. 13.* Wiestn. *n. 5.*

5. Notandum quartò, quòd, tametsi fructibus ipso jure dicatur privatus concubiniarius, pœna tamen hæc non obliget in conscientia ante condemnationem, ita ut fructus perceptos statim & ultro restituere teneatur, antequam per sententiam declararetur reus concubiniarius, uti probabilius tenent Wiestn. *h. t. num. 10.* Reiffenst. *num. 34.* cum Garc. *loc. c. num. 190.* ubi, quòd licet experientia & praxis habeat clericos concubiniarios semel, bis & pluries monitos de concubinis dimittendis non solere fructus restituere, adeoque videantur ad hoc non obligari in conscientia ante dictam declarationem, Judices tamen debere pœnam illam exequi. Firmatur hæc sententia ex eo, quòd, saltem spectatâ consuetudine, nulla sit pœna, etiam ipso jure imposita, requiens externam executionem, quam reus ante sententiam declaratoriam teneatur in conscientia subire, nisi fortè lex eam imponens habeat clausulam appositam: aliâ etiam declaratione non secuta. Nihilominus tamen hæc restitutio facienda post dictam sententiam declaratoriam retrahitur ad tempus delicti commissi. Arguitur etiam pro hac sententia, quòd dicti fructus jubentur applicari fabricæ ecclesiæ alterive loco pio arbitrio Episcopi, utique prius declarantis clericum reum criminis, ut cum Engels. *hoc. tit. num. 4.* Wiestn. *l. c.*

6. Notandum quintò, extendere etiam se hoc decretum privationis tertiæ partis fructuum ad distributiones quotidianas, distinctas à fructibus præbendæ, tenent Barbol. *ad c. sicut. h. t. num. 5.* & quos citat Ricc. *cit. decis. 307. num. 5. in 2. edit.* Monet. *de distribut. quotid. p. 3. 4. 10. num. 56.* Sayr. *in florib. decis. sub tit. de verbor. signif. decis. 7.* item Pirh. *h. t. n. 13.* contrarium tenente Garc. *l. c. n. 136.* Wiestn. *n. 5.* quos secutus sum *in foro benef. p. 3. q. 2. l. 6. num. 4.* eò quòd simus in materia pœnali & odiosa, quæ est restringenda. Privationem nihilominus fructuum omnium & proventuum, quæ post secundam monitionem incurritur, extendere se quoque ad distributiones, cum Eodem Garc. *l. c.* & aliis tenent Wiestn. *l. c.* Reiffenst. *h. t. num. 33.* eò quòd talis post secundam monitionem non dimittens concubinam suspendatur etiam ab admini-

administratione beneficii, adeoque choro & divinis interesse (propter quam interessentiam dantur distributiones) & quidem sua culpa & malitia non possit.

7. Notandum denique, privationem illam fructuum præmittendam suspensioni, pro ut constat ex verbis Tridentini, hunc ordinem in pœnis infligentis requirentis. Porro num hæc privatio fructuum locum quoque habeat in simplice fornicatione, commodius dicitur paulò post.

Quest. 34. An & qualiter concubinariis statuta pœna privationis ipsius beneficii?

Resp primò, posse & debere illos privari beneficiis, officiis, pensionibus, constat ex variis SS. Canonibus. Sic dicitur *c. sicut hoc. t.* quòd si clerici ob concubinatum suspensi ab ecclesiasticis beneficiis præsumperint adhuc retinere concubinas, ab iisdem beneficiis perpetuò removeri debeant. Sic *c. si autem. dicitur*, quòd si clerici in majoribus vel minoribus secundò vel tertio moniti, fornicarias non dimiserint, easdem de cætero contempturi, Episcopus possit ultra officii interdictionem eos spoliare ecclesiis & earum portionibus, appellatione postposita. Sic in Tridentin. *loc. c.* dicitur: si lic suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum eis versentur, tunc beneficiis, portionibus & officiis ac pensionibus ecclesiasticis, quibuscunque perpetuò priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, beneficiis & officiis impostertum redantur, donec post manifestam emendationem eorum superioribus ex iusta causa cum iis visum fuerit dispensandum &c. Ex quòd decreto Concilii patet, privationem illam beneficiorum esse perpetuam, & ad illa non rediri post emendationem, nisi dicta inhabilitas non sit perpetua. Patet item, ad eam privationem, inhærendo huic decreto, non procedendum, nisi post privationem fructuum & suspensionem à beneficiis.

2. Resp. secundò, concubinarium quantumcunque scandalosum, notorium & publicum non incurere pœnam privationis beneficiorum ipso jure, sed ea pœna imponenda per Judicem. Castrop. *tract. de benef. d. 6. part. 3. §. 8. num. 72.* Garc. *l. c. num. 184.* citans pro hoc *decis. Rota in Trullens. monasterii S. Mariseta. 27. Junii 1597.* Barbof. *in c. sicut. hoc. tit. num. 6.* referens eand. *decis.* nisi fortè statuto aliquo vel jure singulari sic statutum, ut Rector ecclesiæ propter concubinatum ipso jure destitutus sit beneficio. qualia jura & statuta singularia præservata, & non sublata videri per Trid. *loc. c.* ait Lotter. *de re benef. l. 3. q. 33. num. 15.* & dato, talem incurere irregularitatem, non tamen ideo privatur beneficiis obtentis, sed solum arceatur ab obtinendis. Garc. *cit. cap. 10. num. 42.* Tondut. *qq. benef. p. 1. cap. 97. num. 10.* citans Rebuff. *de pacif. possess. quest. 25. num. 230.* Neque privandus venit nisi post legitimas monitiones in concubinato persistat; cum, ut Lotter. *loc. c. num. 117.* adducens eandem *Rota decis.* inquit, repugnet manifestæ rationi, clericos concubinarios raptim & festinanter sententiam privationis subire oportere. Unde licet concubinariis notorius puniri possit absque aliqua monitione. Arg. *c. inanos. h. t.* & ordinarius ipse so-

R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. III.*

lus ad informationem summarè & incarcerationem procedere possit, ubi fuga timetur sine monitione præscripta à Trident. ut Barbof. *in c. sicut. hoc. t. num. 6. in fine.* citans Garc. *cit. cap. 10. num. 186.* Ad privationem tamen beneficiorum deveniri non potest sine prævia monitione. Garc. *l. c. num. 182.* Castrop. *loc. c.* Tond. *l. c. num. 3. & 4.* Barbof. *in c. sicut. num. 6.* & *in c. si autem. h. t. num. 3.* & constat ex citatis canonibus & Tridentin. *l. c.* Porro ad privationem beneficii procedi nequit sinistra monitione. Garc. *l. c. num. 183.* Tond. *num. 6.* Pith. *h. t. num. 13. in fine.* Castrop. *l. c. num. 22.* (ubi tamen addit; si Judex in præsentia sua delinquentem moneret, unicam monitionem trinæ æquivalere) Barbof. *in c. sicut. num. 6.* citans Ricc. *in pr. for. eccles. decis. 359. in 1. edit. & resol. 307. num. 3. in 2. edit.* ubi is, quòd hæc trina monitio requiratur tam juxta juris communis quàm Trident. dispositionem. Item *in c. si autem. num. 3.* ubi ait: ubi agitur de privatione bonorum, ex quo aliquis erat suspectus de mala familiaritate mulierum, & de incontinentia, ut ex suspitione scandalum generaretur in populo, licet non fuerit contra illum accusator, non est sufficiens unica monitio, sed trina requiritur, quæ præmissa, si postea fuisset inventus; cum illis conversari, aut illas in domo retinere, tunc demum poterit procedi ad privationem &c. Neque obstat ait, quòd Trident. *cit. c. 14.* loquens simpliciter de monitione, videatur requirere unicam tantum; siquidem ita loquitur dum agit de privatione partis fructuum, non verò, quando agit de privatione bonorum. Hæc verò trinæ monitiones singulæ fieri debent speciales in personam, & non sufficit fieri generaliter juxta dicta *q. preced.* non tamen requiritur, ut fiant in visitatione. Garc. *l. c. num. 186.* quantum verò temporis intercedere debeat inter singulas monitiones, id arbitrio Episcopi determinandum relinquitur. Garc. *cit. c. 10. num. 185.* Barbof. *in c. sicut. num. 6.* De cætero hic notandum circa illas trinæ monitiones, quòd, cum in arbitrio & electione Judicis sit, procedere contra concubinarios, vel secundum dispositionem juris communis, non expectatà seu servatà formà decreti Tridentini; cum Concilium expressè præservet alias pœnas à SS. Canonibus statutas; vel secundum formam Trid. ut Garc. *l. c. num. 186.* Lotter. *l. c. num. 154.* juxta declarat. *ad cit. c. 14. Trid.* ubi Judex eligit procedere juxta formam Trident. gradatim infligendas dictas pœnas, pro uno quoque gradu pœnæ comminatæ sufficiat unica admonitio. Si autem eligat procedere juxta formam juris communis ad pœnam per illam statutam, quæ est, privationis beneficiorum propter incorrigibilitatem, exigi trinam monitionem juxta *c. 2. h. t.* ita Lotter. *l. c. n. 153.* Castrop. *l. c.* citans Gurtier. *Can. qq. l. 2. c. 7. à num. 13.*

Quest. 35. An adhuc sint aliæ pœnæ concubinariorum?

Resp. enumerantur insuper aliæ pœnæ, de quibus videri potest Farin. *pr. crim. de delict. carn. q. 138. à n. 35.* & Rebuff. *inter concordator. Fran. tit. de pub. concubinar.* & inter has pœnas quoque est, quòd clerici concubinarij reddantur infames; juxta *c. infames. 6. q. 1.* Farinac. *l. c. num. 5.* Rebuff. *l. c. vers. tria pœna.* & constat à posteriore ex Trident. dum redduntur inhabiles & indigni

quibuscunque beneficiis, officiis & dignitatibus, quousque cum eis fuerit dispensatum, qui est effectus infamiae. Verum poenae & eo etiam ordine hodie observandae, quas & quo statuit Tridentin. praecipue cum Pius V. in constitutione sua anno 1566. praecipiat diaecesium ordinariis, ut ea decreta districtè observari curent, Guttier. l. c. num. 68. Circa quod observandum, quòd ex Garc. de benef. p. II. c. 10. num. 187. annotavi in for. benef. p. 3. quaest. 216. num. 5. infine, dum is graviter conqueritur, quòd etsi Pius V. const. in Bullar. 5. locorum ordinariis in virtute S. Obedientiae praecipiat, ut contra concubenarios procedant juxta statuta Tridentini, hi tamen ea non observent, seu observari curent, sed semper contra eos utantur, poenis pecuniariis, etiam si bis, tertio deliquerint, & ut, censum annuum à concubinariis extorquere allaborent; quia nullam reus pertimiscit culpam, maximè concubinariis & carnalis, quam redimere nummis potest.

Quaest. 36. Harum poenarum executio an suspendi valeat, & ad quem pertineat de his cognoscere?

REsp. de primò sic ait Trident. l. c. nec per quamvis appellationem aut exemptionem executio praedicta suspendatur aut impediatur. De altero subiungit. cognitio de his non ad Archidiaconos, nec Decanos aut alios inferiores; sed ad solos Episcopos pertineat, qui sine strepitu & figura iudicii, sola facti veritate inspecta, procedere possunt &c. quòd ipsum tamen locum non habere in immemoriali (hoc est, ubi fortè Archidiaconus ab immemoriali tempore praescripserit) ait Gallemart, censuisse S. Congregat.

Quaest. 37. An dictae poenae statuta concubinariis locum habeant in simplice fornicatione non habente qualitatem concubinatùs?

REsp. primò: pro simplici fornicatione non habente qualitatem concubinatùs, datà solim incorrigibilitate posse clericum privari beneficiis, ait Barbof. ad c. si autem h. t. num. 2. cum eo cap. dicatur, si clerici in sacris constituti fornicarias detinent, nisi eas ad secundam vel tertiam comminationem à se dimiserint, easdem ceterò contempturni, liceat tibi eos ecclesiis spoliare. Verum eo ipso, quòd tales consuetudinem habent fornicandi vel lascivè conversandi cum tali muliere, videntur venire nomine concubinariorum juxta Jus Canonicum & dicta à nobis supra; adeoque mirum non est, quòd incurrant hanc poenam statutam concubinariis. Proinde quaestio haec non parum de nomine habere videtur, dum aliqui de qualitate concubinatùs esse statuunt, habere consuetudinem commercii carnalis cum muliere domi vel extra instar uxoris retenta. quòd si verum, sequitur poenas statutas à Trident. non extendi ad eos, qui etsi consuetudinem habeant cum muliere, non tamen habeant illam cum ea domi vel extra retenta instar uxoris; eò quòd decretum Trident. tanquam poenale & odiosum non sit extendendum ad non concubenarios, seu solùm exercentes simplicem fornicationem, & in hoc sensu accipiendi qui ne-

gant extendi illas ad exercentes simplicem fornicationem. ut Garc. loc. citat. Farinac. pr. crim. quaest. 128. num. 12. apud Wiestner, hoc. tit. num. 9. qui tamen ipse cum citatis à se Engels. h. t. num. 3. Wagnereck. in c. si ausem. h. t. not. 3. sentit contrarium; eò quòd Trident. sub dictis poenis prohibeat non tantum concubinatum, sed & aliarum mulierum suspectarum detentionem (intellige, absque eo, quòd habeantur instar uxorum) & omnimodam, adeoque & simpliciter fornicariam cum iis conversationem. Item ex eo, quòd praxis sit multarum in Germania Curiarum Episcopaliū ita procedendi contra clericos fornicarios. De cetero Barbof. inc. sicut num. 4. citari- que ab eo Ricc. in pr. for. eccles. decis. 361. in fine. edit. 1. & resol. 307. num. 2. in edit. 2. Farinac. in pr. crim. p. 5. quaest. 138. num. 12. & 74. Item Pirh. h. t. num. 13. & alii contra Nav. l. 3. conf. conf. 1. edit. 2. Sayr. in flor. decis. ad rit. de adult. decis. 4. Simpliciter asserentes, poenas illas in decreto illo Tridentino contentas locum non habere in simplici incontinentia absque qualitate concubinatùs juxta declarat. Cardin. Concil. apud Gallemart, ibidem in princ. id intelligunt, ubi abest affiduitas & consuetudo fornicandi; quia fundant se in ea ratione quòd Concilium itrogans illas poenas loquatur de clerico, qui consuetudinem habet cum muliere fornicandi & conversandi lascivè, qualem non habet, qui semel tantum vel bis fornicatur.

Quaest. 38. Qualis igitur poena statuta clerico, qui citra qualitatem concubinatus, seu consuetudinem fornicandi fornicationem simplicem, vel etiam qualificatam admisit?

REsp. ad primum: cum clerico de fornicatione ante seu citra, vel etiam post monitionem commissa convicto varia statuatur à SS. Canonibus, tam antiquis, quam recentioribus poenae, graviores & mitiores, puta, multa pecuniaria, poena carceris, prohibitionis ab ingressu ecclesiae, suspensionis, remotionis ab officio &c. ut videtur est apud Reiffent. hoc. t. num. 480. relinquunt arbitrio iudicis, ut exiis infligere possit illam, quae considerata qualitate personae, gravitate scandalii, consuetudine patriae aliisque circumstantiis videbitur magis expedire; cum vel ipsa varietas poenarum à jure statutarum hanc optionem det Episcopo juxta c. de causis. de off. deleg. junctà Gl. ibid. v. certa & Gl. in c. fraternitatis. dist. 34. v. professura. Abb. in c. at si clerici. de judic. num. 361. Et si igitur stando rigori antiquorum canonum, nimirum c. presbyter. can. si quis Episcopus. dist. 81. ob notoriam scandalosam fornicationem, de ceterò simplicem, clericus in sacris constitutus deponendus & ab officio sacerdotali removendus esset, ut tenet Abb. in c. at si clerici. à num. 35. Farinac. pr. crim. tit. de delict. carnis quaest. 137. num. 2. Aretin. etiam in c. crim. non ab hom. de judic. col. 10. apud Clar. l. 5. v. fornicatio. num. 3. dicat communem: nihilominus regulariter ob simplicem fornicationem non incurri, nec posse imponi poenam depositionis, sed solius suspensionis, cum Gl. in can. Maximianum. dist. 81. v. removeatur. dicente communem. & Glo. in can. lator. 2. q. 7. v.

in corporali. tenent Felin, in c. at si clerici. de jud. Foller. Bero. Bermond. & plures alii, quos citat & sequitur Clarus, l. c. quamvis addat verum esse, quòd pro fornicatione, quæ insignem habet deformitatem (per quam credo, intelligit illam, quæ adjunctam habet malitiam stupri, incestus &c. de qua paulò post) clericus sit deponendus. De cætero, quin Episcopus, inhærendo istis antiquis canonibus, quandoque pro fornicatione simplice, etiam sine prævia monitione, deponere possit & privare possit, talem clericum, ut Reiffenst. n. 50. ob stare non videtur, quòd c. clericos, l. c. scilicet. & Trid. ne quidem pro concubinato, qui longe majus delictum continet, clericus puniri non possit pœnâ privationis beneficii, sed tunc demum, ubi præcessit monitio, privatio fructuum, suspensio &c. Cùm etiam Trid. sic statuendo de concubinariis tollere non velit per hoc libertatem seu arbitrium Episcopis procedendi etiam cum concubinariis secundum jus commune vel secundum suum decretum, ut dictum quæst. ante hanc penult. cùm & ipsum Concilium cit. c. 14. dicat: *alioquin pœnis à SS. Canonibus vel statutis ecclesiarum postis puniantur*, adeòque & hi, dum constat de actuali eorum fornicatione multiplicata quandoque privari possint sine præmissis jam enumeratis, Reiffenst. h. t. num. 54. in fine.

2. Resp. ad secundum: Fornicationem qualificatam seu continentem rationem stupri, adulterii, incestus, sacrilegii, Sodomix &c. posse puniri pœnâ depositionis seu perpetuæ privationis beneficiorum, etiam absque monitione prævia, constat ex variis SS. Canonibus. Sic enim hæc pœna statuitur clerico fornicanti cum moniali. *can. si quis Episcopus, 27. q. 1.* fornicanti cum filia spiritali, quam ex Baptismo suscepit, aut cujus confessionem audivit. *can. si quis sacerdos. & can. non debet, 30. q. 1.* cum consanguinea vel conjugata. *can. si quis clericus, dist. 81.* Arg. *can. lator, 2. q. 7.* junctâ Gl. v. incorporali. Abb. in c. at si clerici. de judic. n. 35. Farin. l. c. à n. 23. Sodomix verò non tantum omni beneficio, sed & privilegio privantur, degradantur, traduntur Curix læculari ulterius puniendi juxta constitut. 2. Pii V. cum primùm. & constit. 72. horrendum. Quæ pœnæ jure antiquo statuta fornicationi tali qualificata, cùm nullatenus jure aliquo recentiore revocentur, manent hodie in vigore.

Quæst. 39. Qualiter procedendum contra clericos, qui publicè dicuntur habere concubinas, sed citati & examinati id negant?

Resp. De hoc statui in c. tua nos. nimirum, quòd si concubinatus ita sit publicus, ut certo notorius censeri debeat, adeòque nulla tergiversatione celari possit. V. g. si clericus publicè secum in domo detineat mulierem suspectam, quam ut uxorem tractet, maximè, si publicè alar filios ex ea susceptos, ut cum Barbof. in cit. c. tua nos. num. 7. Pirh. h. t. num. 15. etiam nullo existente accusatore, & sine testibus aliave probatione, clericus talis, quantumcunque neger crimen, condemnari & puniri potest. in notoriis enim Judex procedit ex officio, etiam nemine accusante. Farin. in pr. crim. p. 1. q. 21. num. 61. Barbof. l. c. num. 2. & in notoriis juris ordo non servatur.

Clar. pr. crim. §. fin. num. 9. Farin. l. c. num. 60. Menoch. remed. 14. recup. num. 60. Barbof. l. c. Quòd si tamen in hoc casu, clericus negaret esse notorium, testes, qui de notorio testantur, sunt producendi, Pirh. l. c. quos etiam super notorio & consuetudine recipi sine juramento, ait Barbof. l. c. num. 5. citans Mascard. de probat. concl. 1362. num. 17. Si verò concubinarus sit, non ex evidentia facti, sed ex fama tantum, opus erit probatione concubinatus per testes ad hoc, ut condemnari & puniri possit, ira etiam, ut juxta textum cit. c. tua nos. non sufficiant testimonia bonorum virorum, inter quos habitant illi clerici; cùm, ut dicitur, l. 3. §. idem D. Hadrianus. ff. de testibus: non testimoniis, sed testibus sit credendum, hoc est, non testimonio simpliciter sine juramento dato. ut Gl. in cit. L. v. testimonio. aut etiam dictis eorum, qui deponunt de auditu alieno, vel testimoniis extrajudicialibus; sed ipsis testibus legitime productis & examinatis, & sub juramento deponentibus in judicio sit credendum, ut cum Abb. in cit. c. n. 7. Pirh. l. c. quanquam, ut addit Pirh. istiusmodi testimonia non jurata, & quæ sunt de auditu tantum generent famam publicam, non sufficientem quidem ad condemnandum reum, sufficientem tamen, ut Judex inquirere possit de crimine multòque magis, ut admittere possit accusatorem adversus clericum ad querelam & testes producendos, qui de ipso crimine etiam testentur. Ac denique licet crimen sufficienter probari nequeat, orta tamen sit talis suspicio, ut ex ea scandalum generetur in populo, quia publicè infamatus de crimine, etiam nullo comparente accusatore, inducenda est ei canonica purgatio, quam si præstare noluerit, aut in ea præstanda defecerit, puniendus est secundum canones, Arg. cit. c. tua nos. & Gl. fin. ibid.

Quæst. 40. Num publicè concubinariis cogi possint ad jurandum se concubinas velle dimittere?

Resp. Episcopus seu locorum ordinarios ad id eos cogere non debere, ne, si in idem fornicationis peccatum relabantur, perjurii etiam reatum incurrant, sed per suspensionis & interdicti sententiam ad hoc cogendi, & si ad easdem redire, vel alias reassumere præsumperint, perpetua (hoc est, donec resipiscant) excommunicationis sententia in eos ferenda. ita statuitur c. clericos. h. t. qui textus etsi tantum loquatur de clericis in Sacris constitutis, & publicè habentibus concubinas, idem tamen dicendum de clericis minorum ordinum aliisque concubinas privatim habentibus, & quidem, ut ab his multò minùs sit juramentum exigendum, quàm à constitutis in Sacris, & publicè eas habentibus, dum his imponendi juramentum major videri poterat ratio, quia gravius peccant. Barbof. in cit. c. clericos, num. 3. in fine. Pirh. h. t. num. 11. Ratio verò sic statuendi generalis afferri solet, nimirum, quòd nemini sit deferendum juramentum cum probabili periculo & timore perjurii, cujus materiam aut occasionem superior aut Judex subministrare non debet juxta c. ille, 22. q. 5. Nav. in man. c. 12. n. 20. Alciat. de præsump. reg. 2. præsump. 10. Menoch. de arb. c. 192. num. 2. Tiraquell. l. 9. connub. gl. 1. p. 6. n. 55. Suar. de relig. Tom. 2. tr. 5. l. 3. c. 14. num. 18. Sayr. clav. reg. l. 5. c. 5. num. 3. quos citat & sequi-

sequitur Barbof. l. c. num. 2. qui etiam num. 3. in fine. addit, ob eandem rationem, non tantum non cogendos tales ad juramentum illud, sed nec se sponte offerentes ad illud admittendos. Jam vero in istiusmodi concubinariis consuetudinariis adest probabile periculum relapsus, seu non servandi tale juramentum, adeoque perjurii, ut patet. Neque huic rationi obstat, quod juxta c. 2. qui clerici vel viventes. Clerici in Sacris constituti, qui de facto sacrilegè contraxerunt matrimonium, cogantur abjurare uxores, non obstante eodem periculo perjurii; imò majore; cum major & vehementior detur suspicio incontinentiæ & relapsus in eo, qui ultra concubinatum de facto, etsi nulliter, contraxit matrimonium, quam in simplice concubinario, & juxta c. ad abolendam. de heret. extingatur ab hæretico juramentum non inhærendi amplius hæresi. Nam in eo est disparitas, quod, quia juramentum est remedium subsidiarium & periculosum, ad quod proinde non recurrendum, quan-

do alia suppetunt remedia æquè apta ad obtinendum finem, qualia in præseute casu ad cogendum clericos ad abstinendum à concubinato, nimirum suspensio, depositio, ac tandem excommunicatio: in aliis vero duobus casibus juramentum tale erat necessarium. In primo quidem, ut tales clerici, qui per consensum suum in tale matrimonium contraxerunt illud, cognoscantur per dissensum suum recessisse ab alio, necessarium est desuper juramentum; dum de iis, quæ interna, aliâ viâ cognosci nequeat. In altero quoque casu, quamvis ad eercendum crimen hæresis quæ tale non desint alia remedia æquè opportuna, ad excludendum tamen errorem intellectus, quem habent, aut habere præsumunt, fidemque super hac exclusionem faciendam, & in futurum fidelitatem promissam servandam, aliud remedium non est, quam solennis & publica abjuratio, ita Barbof. cit.

num. 3. & cum eo Pirh.

num. 11.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

Quæst. 41. An, qui, & quo jure clericis prohibeantur contrahere matrimonium?

Resp. primò: Clerici minoribus solum ordinibus initiati, etiam si beneficiati, validè ac licitè contrahere possunt matrimonium. *Can. si qui. dist. 32. can. quia tua. 12. q. 1. nisi tamen obstricti voto castitatis simplici; hi enim non licitè, sed validè tantum contrahere possunt, contractumque valet, exceptis Religiosis Societatis JESU, qui emissis votis simplicibus, etsi per ea constituantur verè religiosi, etiam invalide contrahunt matrimonium ex speciali Sedis Apostolicæ dispositione reddentis illos inhabiles ad contrahendum matrimonium; dum interim religiosi alii obstricti voto solenni castitatis, etiam antequam initiati ordinibus Sacris, contrahunt invalide matrimonium, Ecclesiâ, dum carent ordinibus Sacris, non nisi post solenne votum in professione emissum inhabilitante illos ad contrahendum matrimonium. c. unice. de voto in 6.*

2. Resp. secundò: Clerici in aliquo sacro ordine, etiam Subdiaconatus tantum, constituti nec licitè nec validè contrahunt matrimonium. ita habet communis Catholicorum, patetque ex c. 1. h. t. c. ex literarum. qui clerici & voventes, ex clem. eos qui. de consang. & affin. ubi etiam tales ipso facto excommunicantur, & Trid. sess. 24. c. 9. sic statuente ac definiente. Sed neque in Ecclesiâ Græca post susceptos ordines sacros licet, aut unquam licuit inire matrimonium. *Can. si quis eorum. dist. 31. junctâ Gl. Azor. inst. mor. p. 1. l. 13. c. 13. q. 1. de Grassis de effect. cler. eff. §. n. 4. Sanch. de matrim. l. 7. d. 18. n. 5. Barbof. in c. cum olim. h. t. n. 2. qui etiam addit citatis iisdem, quod apud Græcos matrimonium post sacros ordines inire fuit irritum. Etsi de cætero matrimonio ante sacros ordines inire cum una eaque virgine, post illos uti possint. can. cum olim. h. t. c. quæsitum, de pœnit. & remiss. AA. citati.*

3. Resp. tertio: Continentia annexa sacris ordinibus & obligatio servandi eam non est ex jure naturali divino, quia etsi secundum rectam rationem valde decens & conveniens sit, ut qui ratione status sui specialiter deputati ad vacandum ministerio & sacrificio altaris, ab opere carnali se continent, non est tamen præceptum juris naturalis; cum altaris ministerium non simpliciter repugnet usui conjugali, quippe per se honesto. Sed neque est ex lege divina positiva, utpote quæ neque ex scriptura, neque ex PP. traditione colligitur. Ac ita habet communis contra Major. in 4. dist. 24. q. 2. & patet à posteriore; cum aliâ Ecclesiâ Græcæ seu orientalibus permittere non potuisset usum matrimonii ante sacros ordines legitime contracti, Sed est ex voto, c. cum olim. h. t. c. unice. de voto in 6. Extravag. antiqua. tit. eod. ad quod emittendum Ecclesiâ obligat suscipientes sacros ordines (etsi, ut dicitur c. 1. h. t. Ecclesiâ Græca illud ejusque obligationem non admiserit) cujus obligationis promittendi seu votendi Deo continentiam admonentur ab Episcopo ordinante ordinandi, dum eis confertur Subdiaconatus. Potuisse autem Ecclesiâ istiusmodi obligationem emittendi tale votum annexere susceptioni sacri ordinis, ex eo patet, quod licet directe cogere non possit ad continentiam votumque eam servandi, possit id tamen indirectè & conditionatè, adjiciendo hanc ordini, quem liberè contert obligationem & conditionem, ut qui ordinem suscipere volunt, profiteantur seu servant continentiam. Laym. ib. mor. l. 5. tr. 9. c. 11. n. 1. & alii communiter. Cur autem Ecclesiâ id requirat, ratio est, ut sacris initiati in statu continentiam, quem assumpserunt, firmius & constantius perseverent. Emittereturque hoc votum hodieum tacitè (dum aliâ olim emittebatur expressè, ut Wiestn. h. t. num. 18. citatis can. præterea. dist. 28. can. quantum. dist. 23.) saltem à sciente annexum, aut illud positivè malitiosè non excludente, ita ut ordinem suscipientis silentium pro consensu in illud reputetur. Atque ita tenent Henric. in sum. l. 12. de sacram. ord. c. 12. num. 7. in fine. Azor. p. 1.